

62. Hanc inusitatam prædicationem Realem nominare solemus, hoc est veram; secundum regulam Nazianzeni, Dial. 1. à Theodoro to positam: Qualis quæque res est, talis de ea prædicatur veritas. At realis imò realissima, hoc est, non verbalis & Logica, sed vera, & ut Damasceno loqui libuit, Substantialis est naturarum in una persona Unio. Ergo talis etiam est communicatio.

63. Et hæc plana est atque Orthodoxa de primo hoc ac summo *κοινωνίας* gradu, qui est naturarum, Confessio, & tùm secum ipsa, tùm cum fide Catholica undiquaque congruens.

II. DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

64. Quid de altero *κοινωνίας* gradu, qui est Idiomatum sive proprietatum, sentiendum sit, haud abs re est, etiam in Ecclesia diligenter attendere.

65. De hac differemus primùm in genere: Deinde in specie de ipsis Idiomatis, quorum facta est communicatio, breviter videbimus.

66. In initio autem non minus Idiomatum sive proprietatum, quàm ipsarum naturarum factam esse *κοινωνίαν*, hoc freti argumento credimus & confitemur: Quicquid in assumptione carnis fuit